

Animaduersiones criticae in Scipionis Aemiliani historiam et C. Gracchi orationem aduersus Scipionem.

I.

P. Cornelii Scipionis Paulli f. historia mirum quantum inquinata est ex assentatorum fraude fabulatorumue incuria narrationibus eis, quae fictae audacter excogitatae uenuste specie quadam genuini coloris uiris doctis imponant: quas si quis accurate excutiat ac pensitet, facile fucum illum quo impostores res gestas adulterare adsolent agnoscet uel inuitus. Atque hac quidem disputatione refutaturus sum narrationem id genus celeberrimam, quam multi laudauere et admirati sunt neque quisquam ni fallor eorum qui historias scripsere non ueram esse arbitratus est. Leguntur enim apud Valerium Maximum IV 1, 10 haec: 'Ne Africanus quidem posterior nos de se tacere patitur: qui censor cum lustrum conderet inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret quo di immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonae ac magnae sunt. Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes seruent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendare iussit. Qua uotorum uerecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit, tunc incrementum Romano imperio petendum fuisse, cum intra septimum lapidem triumphum quaerebantur: maiorem autem totius terrarum orbis partem possidenti ut audum esse quicquam ultra appetere, ita abunde felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret'.

Rem totam a nescio quo nugatore fictam esse facile opinor concedes si quibus de causis ita iudicari necesse sit acceperis. Sunt uero tres. Atque primum quidem narrationi isti tanquam fundamentum subtrahitur eo quod Scipionis ipsius uerbis uel ex Lucilii libro undecimo uel ex oratione Scipionis quam pro se contra Ti. Claudium Asellum de multa ad populum habuerat a Cicerone adlatis certissimum est Scipionis collegam in censura, non Scipionem ipsum lustrum condidisse anno 612/142. Videlicet sortiebantur censores uter lustrum conderet (Mommsemi uide ius

publicum Romanorum II 1 p. 346. 406. Liu. XXXVIII 36), atqui sorte Aemilianum superatum esse Luciumque Mummius lustrum condidisse cum acerbitate quadam Scipio ipse pronuntiat apud Ciceronem de or. II 268: 'ut Asello Africanus obicienti lustrum illud infelix *noli*, inquit, *mirari; is enim, qui te ex aeriis exemit, lustrum condidit et taurum immolauit*. † Tanta suspicio est, ut religione ciuitatem obstrinxisse uideatur Mummius, quod Asellum ignominia leuarit'. Quae uerba nisi forte cauillabere nullo pacto cum eis quae a Valerio traduntur fieri poterit ut concilientur: cum uero ex Aemiliani oratione (Meyer or. Rom. fragm. p. 101 Gell. VI 11, 9; II 20, 6) uel e Lucilii libro XI (14 M 340 L) sine dubio desumpta sint, prae hoc testimonio Valerii liber miscellaneus serdet. Idcirco quod Mummius lustrum condidit puto Plinium scribere XXXIII 57 'Laquearia quae nunc et in priuatis domibus auro teguntur post Carthaginem euersam primo in Capitolio inaurata sunt *censura L. Mummi*'. Etenim Scipio et clarior fuit Mummius et in fastis prior nominatur.

Accedit alterum. Narrat Valerius Scipionem in ipsa re sacra scribam interrupuisse et intempestiue quod ipse sentiret supposuisse eis quae usu sollempni more maiorum religione grauissima uetustate horrida sancita erant: res incredibilis et si quis ad obrussam exigat inepta ut quae maxime. Ubinam gentium tale quid factum est? An cogitari potest apud nos sacerdotem ita esse uesanum, qui sanctissima precatiois carmina quibus christiani ex quo tempore exstiterent utuntur immutatis inter ipsam caerimoniam sese iam mutaturum clamitet, magistratum ita mente captum, ut dum ad sacramentum adigitur eum qui iurisiurandi carmen praecit compellet absurdus melioraque esse nuncupanda male sagax pronuntiet? At multo minus tale quid usu uenire potuit apud Romanos utpote qui multo religiosiores fuerint quam hoc saeculum. 'An si ludius constitit aut tibicen repente conticuit aut puer ille patrimus et matrimus si tensam non tenuit, si lorum omisit, aut *si aedilis uerbo aut simpulio aberrauit*, ludi sunt non rite facti eaque errata expiantur et mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur' ut Cicero ait de harusp. resp. 23, si ludi amplius septies, si sacrificia uel tricies instaurantur non rite facta, si 'quia in una hostia magistratus Lanuinius precatus non erat populo Romano Quiritium, religioni fuit' (Liu. XLI 16), dubitabisne quin piaculum commissum fuerit si quis in lustris sacrificio sanctissimo et grauissimo uel tantillum mutarit? Vide Plinii XXVIII 11 Prelleri mythol. Rom. I p. 132. 215. Umbrorumque consuetu-

dinem cognoscimus ex tabulae Iguinae lege (in Fleckeiseni annal. a. 1875 p. 317), qua si in sacrificio quicquam commissum sit, totum denuo fieri oportere iubetur: quo uero magis intellegat quales fere fuerint Romae in lustris condendo caerimoniae, Iguina de lustrando populo lege a Buechelero in libello uniu. Bonnensis a. 1876 explicata commodissime utetur aliquis.

Postremo neque Scipio lustrationis carmen mutare potuit neque si potuisset tam fatuus erat ut illum in modum id mutaret, cuius Valerius auctor est, neque populus Romanus unquam passus esset precationem illam de sua salute et prosperitate tali modo debilitari ac deprauari quo Scipio corrupisse perhibetur. Tenax enim uetustatis erat in re sacra eademque axamenta Saliorum Arualium aliorum permanserunt si dis placet inde a Numae usque ad Elagabali tempora, quae nemo iam Ciceroni aequalis potuerat intellegere. Itaque iure negauerim censorem potuisse nedum in ipso lustris condendo carmen sollemne mutare, sed fortasse senatus potuit uel quod ueri similius uidetur pontifices, qui carmina precationum et uotorum et concipere solebant et praeire (cf. Prelleri mythol. R. I p. 123. 139). Suspectissimum denique est quod narratur scriba censori uerba praeire, cum exspectes pontificem maximum illo munere fungi. Formulam denique illam qua precantes censores uti soliti sint: 'ut [di] populi Romani res *meliores* amplioresque facerent' Scipio emendasse dicitur ita 'ut eas perpetuo incolumes seruent' cum clamaret: 'sat *bonae* ac *magnae* sunt'. Omitto illo anno neque Viriathum neque Numantiam domitam fuisse, Hispaniam amissam fere totam, ex qua singulis deinceps annis imperatores Romam re male gesta redirent ut rationem redderent de maiestate populi Romani perfidia et periurio polluta: forsitan Scipio dicere potuerit 'sat *magnae* sunt'. Verum enim uero 'sat *bonae* sunt' neque potuit dicere neque unquam dixit aut cogitauit. An ille recusare potuit quin immortales res Romanas meliores facerent, qui iterum iterumque malitiam nequitiam luxuriam corruptelam morum in orationibus suis castiget, qui in ipsa censura orationem inclutam habuerit qua teste Gellio IV 20, 10 *ad maiorum mores populum hortaretur*, qui et ante Carthaginem cognouerit et denuo ante Numantiam cogniturus fuerit, quam incredibili nequitia et segnitia exercitus populi Romani corrupti essent? An omnino quisquam unquam in sacris religiosissime pro salute urbis Romae et populi Romani factis pronuntiare potuit res Romanas meliores fieri nil oportere? At illo tempore nubes iam collectae erant, e quibus nouem annis

post tempestas Gracchana erupit rempublicam labefactura, neque Scipionem misera condicio reipublicae Italiae ὀλιγανδρία seruiti-
orum incrementum plebis Romanae sociorumque pauperies fugerat,
quippe quae damna C. Laelius σοφός ille leuare studuisset ut
Plutarchus Ti. Gracch. 8 refert. Itaque tota Valerii narratio ficta
esse putanda est: incertum, quis finxerit.

II.

De Scipionis Aemiliani legatione illa incluta multa uiri docti
scripsere, quibus diligenter collectis et recensitis tamen habes
quod dubites: de tempore quidem legationis quod adhuc prolatum
est nouo auxilio reperto ni fallor corrigere potero simul et noua
quaedam de ea docere. Ac primum quidem egregie falluntur qui
Ciceroni credunt scribenti Acad. II 5 'Ego autem cum Graecas
litteras M. Catonem in senectute didicisse acceperim, P. autem
Africani historiae loquantur in *legatione illa nobili quam ante
censuram obiit*, Panaetium unum omnino comitem fuisse, nec lit-
terarum Graecarum nec philosophiae iam ullum auctorem requiro'.
Tangitur enim aperte legatio illa, de qua Plutarchus cum princ.
esse philos. I 12 Σκηπίων μετεπέμψατο Παναίτιον ὅτε αὐτὸν ἢ
σύγκλητος ἐξέπεμψεν 'ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφο-
ρῶντα', ὡς φησι Ποσειδώνιος et ἀροϋθῆγμ. Scipionis minoris
13. 14 'Ἐκπεμφθέντα δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς βουλῆς τρίτον, ὡς
φησι Κλειτόμαχος 'ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα'
πόλεων ἐθνῶν βασιλέων ἐπίσκοπον, ὡς εἰς 'Ἀλεξάνδρειαν ἦκε
καὶ τῆς νεῶς ἀποβάς ἐβάδιζε κατὰ τῆς κεφαλῆς ἔχων τὸ ἱμά-
τιον, ἤξιον ἀποκαλύψασθαι περιθέοντες οἱ 'Ἀλεξανδρεῖς καὶ
δεῖξαι ποθοῦσιν αὐτοῖς τὸ πρόσωπον. 'Ἀποκαλυψαμένου κραυ-
γὴν καὶ κρότον ἐποίησαν. Τοῦ δὲ βασιλέως μόλις ἀμιλλωμένου
βαδίζουσιν αὐτοῖς δι' ἀργίαν καὶ τρυφὴν τοῦ σώματος ὁ Σκι-
πίων ἀτρέμα πρὸς τὸν Παναίτιον ψιθυρίσας εἶπεν "Ἦδη τι τῆς
ἐπιδημίας ἡμῶν 'Ἀλεξανδρεῖς ἀπολελεύκασιν, δι' ἡμᾶς γὰρ ἐω-
ράκασιν τὸν βασιλέα περιπατοῦντα'. Συναπεδήμει δὲ αὐτῷ
φίλος μὲν εἶς φιλόσοφος Παναίτιος, οἰκέται δὲ πέντε'
καὶ τοῦ ἐνὸς ἀποθανόντος ἐπὶ τῆς ξένης ἄλλον μὴ βουλόμενος
πρίασθαι ἀπὸ τῆς 'Ρώμης μετεπέμψατο. Illud τρίτον mire
Gerlach stud. hist. p. 222 Wyttenbach Plut. mor. I 2 p. 289
Mueller fragm. hist. Graec. III p. 255 Duebner Plut. mor. I
p. 243, 22 interpretati sunt quasi tertium legationem Scipio obierit
cum significet legatorum numerum qui tres erant auctore Iustino

XXXVIII 8, 8: 'Quibus confluentibus obuius legatis Romanorum Scipioni Africano et Spurio Mummio et L. Metello qui ad adspicienda sociorum regna ueniebant procedit' [Ptolemaeus Physcon]. Plutarchus autem Posidonio usus est ut apparet, qui Clitomachus Homeri illum uersum de Scipione legato adhibuisse scripsit libro septimo historiarum: cf. Athen. XII 549 D de Ptolemaeo Physcone: Ποσειδώνιος γοῦν ὁ στρωκὸς συναποδημήσας Σκιπίωνι τῷ Ἀφρικανῷ κληθέντι εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ θεασάμενος αὐτὸν γράφει ἐν ἔβδόμῃ τῶν ἱστοριῶν οὕτως eqs., ubi Athenaeus Posidonium cum Panaetio confudit, cum ille tunc nondum natus esset: idem de Ptolemaei sagina uentris a Scipione irrisa narrat quod Plutarchus idemque de numero seruorum deque seruo in demortui locum Roma arcessito Posidonius et Polybius Athen. VI p. 273 A: prae quorum auctoritate nihili faciemus Valerium Maximum qui IV 3, 13 Scipionem post Numantiam excisam septem seruis sequentibus officio legationis functum esse contendat, nihili auctorem de uiris illustribus cap. 58 qui duobus.

At ante censuram ut Cicero scribit legationem illam obiisse Scipio non potest, cum sine dubio aliquanto plus anni spatio ut uidebimus in ea consumendum fuerit: anno autem 609/145 Sp. Mummio curram fratris triumphantis cui legatus fuerat (Cic. Att. XIII 6, 4) secutus est credo, anno sequenti Scipio Romae fuit secundum Val. Max. VI 4, 2, anno denique 611/143 magna cum Appio Claudio in petitione censurae simultate coorta ut Plut. apophth. Scip. min. 9. 10 tradit Romae ciuibus ante oculos uersari debebat. Accedit alterum. Plutarchus in apophthegmatis Scipionis ubi auctore utitur optimo et ordinem temporis seruat et legationis illius meminit post censuram, neque minus Cicero ipse de rep. VI 11 Africanum maiorem facit praedicentem nepoti: 'Cum autem Karthaginem deleueris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum Syriam Asiam Graeciam, delegere iterum consul absens bellumque maximum conficies, Numantiam excindes'. Quod eo pluris faciendum est, quod Ciceronem in libris de republica accurate historiae operam dedisse apparet passim, quippe qui uel id sciat quo consule et ad quam legionem ille tribunus militum in Africa fuerit (de rep. VI 9). Itaque Ciceronem in Academicis Antiochi Soso et Philonis scriptis inhaerentem oblitum esse annales eoluere statuendum est: neque enim uerba *ante censuram* coniectura mutanda esse uidentur, sicut nonnulli uoluerunt.

Deinde Mueller FHG. II p. XX sese tempus legationis

eruisse putavit qui Ciceronis loco in VI de republica nisus illam recte arbitratur factam esse post Scipionis censuram, addit porro haec: (Posidonius) 'uberrime legationem persecutus est libro septimo (u. Athen. XII p. 549 D; Posid. fr. 11). Ita autem Posidonius in Historiis agit, ut singulis libris unius fere anni res pertractet. Iam uero quae e libro *quinto* afferuntur pertinent ad res anni 138 quo captus est Demetrius; et quae e libro octauo de Sicularum bello leguntur referenda sunt ad annum 134. Igitur ex his colligitur legationem pertinere ad annum 136 uel quod malim ad an. 135. Eodem ducit series fragmentorum Diodori'. Idem coniecerat Gerlach stud. p. 222, ut ita Ciceronis uerba 'delegere iterum consul *absens*' intellexeret, quasi Scipio nondum ex illa legatione Romam reuertisset: quod probauit Neumann hist. Rom. p. 151, quod ipse probauit studiis Lucilianis p. 81. Tamen οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος, antea uero quam de tempore dicam, de itinere ipso Scipionis quae erui exponam. Atque apud Lucilium in XIV si recte interpretatus sum stud. Lucil. p. 81 Aemilianus pronuntiat:

ad regem legatu', Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
ibo, cercurum sumam.

Itaque legati Roma ad regem Ptolemaeum profecti sunt Alexandriam: cf. Diod. XXXIII 28^a ὅτι ἦκον εἰς Ἀλεξάνδρειαν οἱ περὶ τὸν Σκιπίωνα τὸν Ἀφρικανὸν πρεσβευταὶ κατασκευόμενοι τὴν ὄλην βασιλείαν. Aegyptum fere totam usque ad Memphim urbem permensi et contemplati ἐπὶ Κύπρου κάκειθεν ἐπὶ Συρίας τὴν ἀναγωγὴν ἐποίησαντο. Quod corrigere potui l. i. ex Lucilio ubi Scipionis amicus fortasse Panaetius ipse illarum regionum gnarus uiam derigit his uerbis:

Carpathium mare transuectus cenabi' Rhodi —

Transuehitur aperte Scipio mare Carpathium, quod esse mare inter Alexandream et Rhodum Philargyrius testatur, tum appellit ad Rhodum insulam. Atque doleo equidem me l. i. cum de Aemiliano legato Rhodi commorante agerem omisisse locum primum Cic. de rep. III 48 ubi Scipio ad Sp. Mummiū: 'Quid tibi tandem Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fuimus una, nullane uidetur esse respublica?' Rhodo profecti Cyprum, Cypro Syriae urbes petiere: καθόλου δὲ καὶ τὰ πλεῖστα μέρη τῆς οἰκουμένης ἐπῆλθον. Quod cum Diodorus l. i. tradat, non mirabimur usque Ecbatanam Babylonemque Scipionem iter fecisse, quod e Lucilio discimus. Inde Asiam minorem peragrauit Pergamum petiit,

postremo Graeciae oppida perlustravit, domum rediit spatio itineris immenso confecto. Minus duobus annis utique negauerim legatos consumpsisse temporis, cum et iter pergrande confecerint et ubique fere diutius commorati sint, lites diiudicarint, regna constituerint: itaque cum anno 618/136 causae Mancini interfuert Scipio (Plut. Ti. Gracch. 7), uereor ne temporis spatium intermissum inter illam et consulatum Scipionis alterum anni 620/134 breuius exsistat. Tum ei qui de Scipionis legatione scripserunt non uidentur nouisse quod in (Luciani) macrobiis 12 traditur: "Ἄτταλος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς φιλάδελφος, τῶν Περγαμηνῶν καὶ οὗτος βασιλεύων πρὸς δὴν καὶ Σκιπίων ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ἀφίκετο, δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτων ἔξελπε τὸν βίον. Quem Scipionem Paulli filium esse certum est neque opinor dubitari potest quin illa Aemiliani cum Attalo II Philadelpho congressio in ipsa ea de qua agimus legatione facta sit, cum Asiam minorem Scipio peragraret. Attalus autem iste mortuus est anno 616/138 ineunte. Nam anno 621/133 medio Eudemus cum Attali III Philometoris testamento Romam uenit: itaque rex anni illius initio decesserat βασιλεύσας ἔτη πέντε, ut Strabo auctor est XIII p. 624, et regnum obtinuerat ex anni 616/138 initio. Attalus II hoc anno ἔν καὶ εἴκοσιν ἔτη βασιλεύσας (Strab. l. l.) obierat, postquam inde ex anno 595/159 regnauit. Ergo quoniam anno 612/142 Scipio censura functus est eumque sub finem legationis ut supra demonstrauius Aegypto Syria Asia peragrata Rhodo et Cypro adita Pergamum uenisse ueri simile est, anno 614/140 aut 615/139 Attalum II Philadelphum senectute iam languescentem uidit Pergami: legatio facta est intra annos 613/141 et 615/139 neque dubito quin Cicero in Academicis rectius scripturus fuerit 'in legatione illa nobili quam statim post censuram obierit'. Anno 617/137 Scipio legem Cassiam adiunxit teste Cic. Brut. 97 de leg. III 35. 37. Denique quod Mueller libris singulis Posidonii singulos annos comprehensos scribit, ualde dubito num uerum sit, saltem incertissimum est. Nam in rebus Aegyptiacis Syriacis Siculis conscribendis si uere πραγματικῶς uersatus est scriptor, complurium annorum facta non continenter perscribere et uno libro complecti uix potuit.

III.

Liui epit. 59: 'Cum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset ut eundem tribunum plebis quoties uellet creare liceret,

rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit; in qua dixit *Ti. Gracchum iure caesum uideri*. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit. Ad rem eandem, Scipionis illam οὐκ ἀρεσκομένην Gracchanis ἀπόκρισιν quam dederat a Papirio interrogatus quid de Ti. Gracchi caede sentiret pertinent quae Cic. pro Mil. 8 de or. II 106 Val. Max. VI 2, 3 auctor de uir. illustr. 58 Vell. II 4, 4 memoriae produnt: itaque non recte Liuii epitomator uerba illa *Ti. Gracchum iure caesum uideri* dissuasioni ipsi attribuit. Operae pretium uidetur C. Gracchi qui rogationem suasit uerba ex oratione illa 'ut lex Papiria accipiatur' apud Charisium seruata examinare: etenim Meyer or. Roman. fragm. p. 116 nil in eis explicandis emendandisque praestitit. Exstant uero in codice Neapolitano Charisii p. 240, 16 Keilii haec: 'Pessimi Ti. fratrem meum optimum interfecerunt. Em uidete, quam par pari sin'. In Keilii aliorum editionibus *par pari sim* aut *sint* scriptum est: neutrum cum intellegam Gaium Gracchum dixisse putauerim: 'Em uidete, quam *barbari sint*'. Ne alterum quidem fragmentum in Charisio p. 196, 25 emendatum esse arbitror, ubi codex: 'Qui sapientem cum faciet, qui et uobis et rei publicae et sibi communiter prospiciat, non qui pro sylla humanum trucidet'. Proposuit Jordan Hermae VI p. 494 'non qui pro suilla humanam trucidet': puto dici posse *pro sue hominem trucidare*, quod coniecit Nitzsch in libro de Gracchis Gracchorumque similibus qui eos antecessere p. 342, at dici posse *humanam* pro suilla trucidare nego reputans quid *caro* uox significet: cf. Buecheler Mus. Rhen. XXXVIII p. 479. Vide enim quam diuersa sint quae Jordan laudat Catonis uerba apud Gellium XIII 25, 12: 'Succidias humanas facis, tantam trucidationem facis' eqs. Litterae *sylla* quae in Neapolitano exstant Graecum uerbum significant, uerum esse credo hoc: 'Qui sapientem eum faciet qui et uobis et reipublicae et sibi communiter prospiciat, non qui pro asylo hominem trucidet'. Nasicam aperte increpat C. Gracchus Nasicaeque sectatores, inter quos non dubito Laelium illum *Sapientem* fuisse, quem legis Papiriae dissuasorem (Cic. Lael. 96) immerito isto cognomine appellari clamat. Tiberius autem trucidatus est pro templo Fidei ut Appianus b. c. I 16 enarrat: Γράκχος αὐτὸς εἰλούμενος περὶ τὸ ἱερὸν ἀνηρέθη κατὰ τὰς θύρας παρὰ τοὺς τῶν βασιλέων ἀνδριάντας. Quod piaculum multum commiserabantur homines: οὐ γὰρ ἀπεκρύπτοντο κατὰ τὰς ἀπαντήσεις (Nasicae) οἱ ἄνθρωποι τὴν δυσμένειαν, ἀλλ' ἐξηγριάζοντο καὶ κατεβόων, ὅπου προστύχοιεν, ἑναγῆ καὶ τύραννον καὶ μεμιαγκότα φόνῳ σώματος ἀσύλου καὶ ἱεροῦ τὸ ἀγίωτατον καὶ φρικωδέστατον ἐν τῇ πόλει τῶν ἱερῶν ἀποκαλοῦντες (Plut. Ti. Gracch. 21). *Pro asylo* recte dicitur, cum usitatum sit *pro aede Castoris, pro curia, pro castris* alia.